


etum

3 2044 107 253 858

MH
3 2 8 2



very good

2127.

Ludov. Hieron. Osniel

Pol. ^{et} Drapt. Thurant

ergo pluribus morbis chronicis Caffé potus.

Parisius j 16 Sec.

i 7 5-1.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/quaestiomedicaqu1751cosn>

UNIVERSITY
HARVARD
LIBRARY



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-sexto mensis
Decembris, Anno Domini M. DCC. LI.*

P R Æ S I D E.

M. LUDOVICO-HIERONYMO COSNIER,
Doctore Medico.

An Morbis chronicis Caffè potus?

I.



ERUM complurium, apud Medicos, misera fors! Pleræque sub uno novitatis titulo, aut alicujus præjudicatæ opinionis errore penitus abjiciuntur, tradunturve contemptui, efficacioris licet virtutis donò ab authore naturæ insignitæ. Plurimorum etiam in arte peritorum culpâ, sæpius id evenit infortunii. Quibus hæc efficacia tutò & certò comperta est, ii vix quemquam trahere possunt in consensum. Ad cognoscendam medicamenti aut alimentî virtutem, sola vincit experientia millies, ut ità dicam, & millies iterata; sola

A

enim os obtrudit neganti, sola introsipienti oculos aperit. Tulit hanc fortem multis abhinc sæculis, semen quoddam exoticum Caffè dictum apud Batavos Angloſque, Caffè verò apud Gallos. E felici Arabiâ suos olim duxit natales; ex Arabiâ quoque, tanquam ex primario fonte, ejus oriundus usus. Ab Arabibus Medicis cognita primò vis illius & virtus; quam edocti Arabes, Ægyptios edocuère. Hinc Africa, novitatis plurimùm avida, suffultaque aliorum imprimis experienciâ, tota paulatim illius feminis infuso aut decocto indulſit. Eundem usum protinùs arripuit vicina quoque Arabiæ gens integra Turcarum. Hic potus illis, loco vini, quo interduntur, unum quasi solamen atque voluptas est; in deliciis quoque habetur apud Asiaticos, Americanos, & toti jam nunc ipsi Europæ acceptus est; imò ferè totus orbis, illius odore & fumo hodie perfunditur, suavi illius allicitur sapore, ejusque, licet amaro, recreatur potu, tanquam stomacho & cordi nunquam non blandiente, totiusque œconomix animalis bono & utilitati favente; quasi reipsâ verum esset, id cordi suavius existere quod palato amarum: & verò, ipso suo amarore stomachi fibras languentes suscitât, ipsius nervos, & per sensum, totius corporis & præsertim cordis, erigit, lætificat; undè illi robor magis indefinens ad terendum sanguineum liquorem. Nil mirum ergò, si vires addat Caffè potus, cum roboraret partes nerveas: nil mirum pariter, si stomacho amicus extiterit, cum illius tonum firmet, motum augeat; at auget amicè, pacatè, non tumultuosè. Evolvit vim succi gastrici qui instar fermenti est aut menstrui quo penetrantur alimenta, attenuantur, resolvuntur, digeruntur. Resolvit & ipsa eadem alimenta, sese cum iis immiscendo, sociando, & quasi coadunando per omnes vias chyliſeras, indeque per integrum massæ sanguineæ fluentum, unà semper & ubique commendo. Favet ergo digestioni. Porro quis inficias ibit, id omne quod alimentis digerendis omnimodè per se conducit efficaciter, corporis partibus roborandis illud idem inservire debere? Quinam sexus, quænam ætas, quodnam temperamentum cui natura non dictaverit, privari ad salutem suam, & ad digestionem, eamque laudabilem & perfectam, quantum licet fieri aut exoptari? Mirabilis potus qui hanc potuerit promovere feliciter! Omne hæc in re tulisse punctum, quis non confiteatur lubens? Quid si non refragetur illius, etiam antiquior usus? Quid, si experientia iterata hunc comprobaverit usum? Quid denique, si illius adjumento, chylus tenuior, subtilior, puriorque hinc factus, ejus tandem naturæ fiat & indolis, ut succi alibilis characterem, loco deperditi, feliciùs induat, fiatque vasorum & viscerum continuo motui accommodatior, eorum obsequiosior tritui, ita ut minima, solidissima, compactaque magis totius corporis, permeare, irrorare, nutrire denique faciliùs queat, & uberiùs; undè corpori & expectandus vigor; undè & plurimorum, à crudiori chylo, aut quoquo modo imperfectiori, morborum chronicorum, sensim sine sensu resolutio, sanatio speranda, imò expectanda.

I I.

PROCUL hinc quæ de ortu feminis Arabici Caffè dicti, seculo elapſo, commenti sunt plurimi tùm Mercatores, tùm Historici, tùm Medici. Certò competentum esto arborem esse quam prima tulit tellus Arabica, folius auxilio naturæ, non artis, favente quidem solo, sed plurimùm favente solis aspectu. Ars deinde hanc educavit plurimis in regionibus, qualis è ditione Batavorum colonia Surinam; quales pariter & Gallorum plurimæ; testes insulæ Bourboni, Martinica, Sandominicana; testis Cayenna; testis & ipsa urbs Mocha, totius Arabiæ, quin imò totius Europæ velut emporium, è regione cujus & viciniâ vegetum magis, magisque maturum, adeòque viribus ditius, ad nos devehitur semen. Arbor quæ gaudet hortus ipse Regius Parisiensis, curis & industriâ illustrissimi Collegæ nostri De Jusſieu educata, folia fert lauri foliis non omnino dissimilia, molliora tamen, nec ita

obscure virentia, nullatenus aut parum odora. E foliorum alis nascuntur flores monopetali albi, ad jasmini (a) petalum accedentes; suavisque odoris. Iis delapsis, paulatim exurgit fructus qui est viridi sensim rubescit, subfuscusque tandem cernitur maturitatem adeptus. *Substantia illi carnea*, inquit Collega noster, * *subrubra, paululum viscosa, sapore ingrato, qua exsiccata, fit gravior*. Illa, ut plurimum, amittitur gemina Capsula, geminum semen involvens. Hujus seminis figura jam vel pueris notissima, convexa scilicet ex una parte, quasi plana ex altera, in medio sulcata; huic semini color album inter & pallido luteum, nonnunquam modò magis, modò minus viridiusculum, pro regione scilicet in qua nascitur, pro arte qua exsiccatum est, prout etiam ex æquo maturuit. Optimum affertur ex Mocha: si probè selectum, subcitrinum est & leve, nec crassius; crassius verò & albidius, graviusque illud quod à Martinica affertur. Viridius tandem & tenuius quod crescit in insula Bourbon, saporis sæpè quasi rancidi, ob plurima semina immixta, imperfectè matura, nec apprime desiccata. Eodem ranciditatis vitio aut alterius saporis ingrati inficitur semen ex insulis Martinica & San-dominicana; quare omnes hæ Caffè species vilioris sunt præterquam ea quæ ad nos ex urbe Mocha advehitur, utpotè quæ opportunè matura liccaque, & saporis non ingrato amari, nec non ad farinaceam quasi substantiam faciliù accedens, saltem semitorrefacta; cruda enim, durior & callosa nimis, ut teri potest. Quæcumque Caffè species oleo non turget tam intus quam extus, statim ut dextrè & aptè torrefacta est, malè audit apud Caffè potiores: unde, ait M. Gayant, (b) *eligatur semen pinguius graviusque, nec aqua madidum marina, qua sæpius diuturniori inficitur itinere*; nec immeritò, » tantam enim » olei quantitatem continet, ut ex eo semine, etiam crudo & duro, majorem olei » clari (quam excogitari posset) copiam elicere solà vehementi expressione potuerit, Camerario (c) teste, Lewenoeius. Imò, texturà hujusce seminis ab ipso perlustratà, mediante microscopio, illi non nisi spongiosa comparuit, & ex ramosis in se » invicem constans particulis. cavitatibus. multis in locis, oleo oppletis; oleum » què illud, visu, clarissimè conspiciere potuit. Undè ultrò patet, inquit, cur fabæ » istæ non possint redigi in farinaceam substantiam, nisi prius sint tostæ & perustæ; » torrendo enim, multum olei absumitur igne, & ramosæ particule, confidendo, » fiunt debiliores ficioreque & magis friabiles, aut saltem tritui obsequiosiores. « De hujus fabæ seu seminis delectu, si quid quæras magis certi, colori ne fidas omninò, nec ponderi aut tenuitati. Selectum tibi sit illud solummodò semen, quod dextrè torrefactum, suavis sit odoris, saporisque jucundè amari, absque acrimonia & ranciditatis vel minimo sensu, aut alius cujuscumque saporis pravi quo donantur quædam Caffè species, etiam ex Mocha non selectæ. Quare omnes masticatione semper prudens explora, tum crudas, tum tostas. Crudum Caffè semen sapore dulcescat, inquit, Straussius, (d) cum paucò amaro, nullamque acrimoniam præ se ferat. *Avicenna (e) citrinum eligit semen & leve, bonique odoris; album & grave, malum pronuntiat*; Rawolfius (f) etiam sic ait de integris Caffè fructibus, allatis ex Indià. *Intus duo tenens grana flavi coloris, in capsulis duabus diversis inclusa*. Historiam arboris, florum & fructuum ad nativum depictorum, quærat Botanices curiosus, in thesi (g) à laudato Collega nostro eleganter conscriptâ. De hâc arbore sic loquitur Alpinus (h) in Historiâ plantarum Ægypti. » Arborem, inquit, ipsum » semen ferentem vidi in Halybei Turcæ viridario, ex Arabiâ delatam quæ Evony- » mo maxime similis erat; sed tamen folia habebat crassiora durioraque & perpe- » tuò virentia. Semen autem ait, *Bon & Ban* vocant Ægyptii & Arabes; decoctum » verò *Chaubé* dicitur apud Turcas.

(a) Quæ de causâ à Dore flore de Jusseu planta dicitur, jasminum Arabicum lauri folio, cujus semen apud nos Caffè dicitur. Commentariis R. scient. Acad. demia.

* In thesi Literatis ne salubris Caffè usus.

(b) In thesi an à frequentiori potu Caffè, vita brevior? die Jovis 21 Martii 1715.

(c) Camerarius de usu & abusu potuum.

(d) Laurent. Straussius de Coffi, in Appendix. Pharmacop. Schroederii pag. 904.

(e) Avicenna lib. 2. Tract. 2. pag. 109. Venetiis apud Juntas.

(f) Leonhard. Rawolf. in itin. p. 102.

(g) Literatis Caffè usus? die Jovis 20 Aprilis 1741.

(h) Prosp. Alpinus de plantis Ægypti t. 1. p. 67.

JAM nunc & apud nos nulla forsàn Caffè vulgatiore mercere, inter omnes saltem exoticas. Aded crevit ejus fama; aded crescit in dies ejus, decocti vel infusi usus & amor. Nullus, brevè, plebeius quem non alliciat oblectetque vel ejus odor aut fumus. Inter mulieres nulla, quam non delectet amaror ejus. Quin imò, vino plus æquo madidis, præsens jamdiù medicamen est; gulosis verò & carnibus saginatis ultra vires, auxilio est potio nigra, & eò quidem ipsis utilior quò amarior; procùl enim tunc saccharum & dulcia quæcumque, vel lactea quibus citius acscescent alimenta, aut alio quocumque corrumpentur modo, ructusque nidorosi assurgent molestiores. Ventriculus sic cibo pleniori refertus, suavius afficitur recreaturque liquoris amari præsentia; alliciuntur blandiori titillatione spiritus, quibus copiosius affluentibus, ventriculi motus augetur: adaucto nempe ejus firmarum tono, gravant minus in ejus fundum alimenta; ipsaque salibus volatilibus hujusce liquoris imbibita, facilius solvuntur, subiguntur unà cum ventriculi succo lymphatico, salivæ æmulo; sic præcipuum inchoatur, perficiturque digestionis opus, illud quasi manu dirigente stomachi continuo motu, sine quo nec quævis res solvi misericque inter se, nec pelli in intestina, alimentis unquam daretur. (a) Boni quid non pollicetur, si aureæ mediocritatis legibus astrictus, cibos ventriculo, pro viribus ejus, concesseris, eumque infusi & decocti Caffè salutem recreaveris potum? Firmat ventriculum digestionem exequendam habiliorem factum; reddit & insuper chylum dilutiorem, leviozem, ditiozemque spiritibus; undè tutior pleniorque ejus transcolatio per insensilia intestinorum cribra, undè felicior ejus per omnes vias chyliferas distributio. Hoc modo refectus sanguis, & ad omnia simul munia obeunda factus habilior, secretionibus functionibusque totius æconomia animalis abundè sufficit; suppeditat substantiæ corticali sanguinem lymphamque tenuissimam, ex qua spiritus ipsos, fecernendo, quasi fugit substantia medullaris, spirituum promptuarium inexhaustum, undè vis omnis & omne robur corporis; quid mirum igitur si digestionem juverit rectus Caffè usus, imò si cerebrum firmaverit, hincque memoriã, promptaque perceptionis & recti judicii facultate quemcumque ditaverit Caffè potatorem? Testes viri innumeri, vigiliarum laborumque facilè & impunè (illius auxilio) patientes, quales omnes quos urit studiorum & meditationum nobilis ardor. Caffè potione profectò ad mentis & corporis officia melior promptiorque moveberis, ait clarissimus Matthæus Thuillier, (b) spirituosum sovet systema, alitque alacrius, ac munia functionum, si qua depravata torpent, exsuscitat, habitum corroborat. Ne dubites igitur quin sanum firmet, valetudinarium sæpius restituat; nec temerè quis posset asserere, eò rariores esse, nostro ævo, chronicos complures morbos, quò frequentior est Caffè usus. Morbi scilicet ab obstructione oriundi, morbi ab erethismo & spasmo ortum ducentes, quales morbi hypochondriaci quamplurimi, morbi litteratorum quasi pedissequi, cæterorumque omnium studiosorum, quin & otiosam vitam agentium? Illius usu quot pacantur morbi sexum tam frequenter cruciantes, quales hysterici ferè omnes, chlorosis & icterus in pluribus nondùm menstruatis virginibus, quibus Caffè usus semel aut bis in die cum aquâ copiosâ simul haustâ, tutò pellit urinas, pellit & menstrua? quotiès colicos fugavit dolores, aut hepaticos, è vesiculâ nempe felleâ nonnunquam oriundos ob præpeditum bilis effluxum; crassiore scilicet existente bile, aut vesiculâ nimium spasticâ factâ? Evocat & cæteris mulieribus suppressos aut imminutos menses. Testis Prosper Alpinus: (c) Mulieribus ad evocandos menses præsentaneum est remedium, apud easque in usu est frequentissimo; quibus diminutè fluentibus, ejus decocti probè calentis multum epotant, paulatim modicum sorbentes; sic enim in usu est apud omnes, ut paulatim ipsum deglutiant. Quid plura? Testis & ipsius Alpini praxis. Cum ego, (d) inquit, animadvertissem mulieres, quibus cæperint fluere menses, ad eos adjuvandos de eo calidiori decocto semper paulatim multum sorbillare, apud illasque omnes ad juvandam

(a) Hujus seminis vires profectò non exiguæ inquit D. Gayant, si medicamenti loco adhibeatur.

Inibest, an à frequentiori Caffè potu vita brevior? 1715.

(b) In thesi, ut potus Caffè sum iactis salutarior? 1697.

(c) Lib. de Medicinâ Ægyptiorum p. 118.

(d) Idem. p. 124.

eam vacuationem in usu esse frequentissimo, capi, illâ perdoctus experientiâ, in omnibus illi, quibus aliquam ob causam, earum purgatio mensrva destitisset, quod quidem felicissimè multis evenire vidi, exindeque didici, hoc genus remedii pro evocandis mensrvis ab uteri venis obstructis esse præstantissimum; post universalem tamen corporis vacuationem. Manè, jejuno stomacho istud decoctum assumptum, efficacissimè menses provocat; temporeque quo multis jam vehementibus doloribus minuti difficulter exeant, eis presentaneo est auxilio. Sic se habet familiaris usus apud omnes Ægyptias, Arabasque mulieres. Quid igitur mali metuas, si hæc eadem nostras quoque mulieres edocueris? Nonne jam & apud hystericas mulieres, & viros hypochondriacos non paucos, is est feminis Arabici usus benignus, ut dùm torrefit, teritur coquiturque, solâ salino-sulphurearum, circum undique præ tenuitate volitantium particulis evaporatione, mirè alleventur ab hysteris insultibus aut hypochondriacis; adeò verum est nigrum pulverem nostrum, vi gaudere antispasmodicâ, imò vi antiepilepticâ, si rectus à Medico, ejus dirigatur usus; usus autem; modò cum aquâ solâ, modò cum lacte; his cum lactis mediâ parte; illis cum lacte sincero & integro, meliùs cum solo cremore. Nonnullis in aquâ antihystericâ aut antiepilepticâ ad mentem medentis; plurimis prodest naribus attractus in modum Tabaci; nonnunquam etiam huic pulveri immixtus & sociatus. Quid plura, quos miseri ægrotantes quibus turò nunquam licuit Pharmacum haurire purgans, quod paulò post non revomerentur quibus tandem facto priùs pulveris nostri decocto, & inibi solutis vel infusis purgantibus medicamentis, aut eo propinato statim ab exhaustâ potione catharticâ, evanuit omnis nauzea, & omnis vomitus?

I V.

CONFICIENDI modum seu parandi è semine Arabico potum salubrem, eundem ne credideris in quâcumque regione. Torrefit quidem apud omnes; infunditur ab omnibus vel coquitur torrefactus pulvis. Ast illis intensius torrefacere consuetudini est, dum hi remissiùs torrefacere satius censent; alii decoctum vel infusum colorem & consistentiâ magis servatum, alii minùs exposulant; adeòque alii aliam pulveris dosim necessariam autumant esse ad eandem aquæ quantitatem, adhibendam. Apud Turcas, binam ad usque unciam in aquæ librâ unâ, levissimâ decoquendam jubent ebullitione; quâ illicò ab igne remotâ, linteis aquâ frigidâ madidis vas circumvestiunt; quo facto, citiùs ruit ad fundum pulvis crassior; decantatum statim liquorem sic ferventem hauriunt, partitis vicibus, pauxillo sacchari admixto. Residuum pulverem jam leviùsculè coctum, coctioni de novo tradunt; indè, aiunt, longiori iteratâ coctione extrahitur oleum quo plurimùm turget pulvis; oleosum hoc decoctum, novo cum pulvere, cujus idcirco non imminui dosis debet, subjiciunt igni, quo extrahitur pars subtilior, oleo irretita, adeòque palato blandior, accommodatior stomacho & pulmonibus. (a) *Asthmaticos liberat, redintegrat phthisicos, laxam pulmonum compagem, suo amarore, firmat ac durat, arctam & astrictam laxat suâ dulcedine;* non denegatâ præsertim sacchari quantitate mediocri. Hâc methodo paratus è Caffè potus, massam sanguineam non itâ acriter exagitat, cerebrum minùs impetuosè ferit; alluit molliùs blandiùsque ventriculum, aliaque viscera. Hujusce liquoris aqueo-amari subtiliores partes, cave ne, comparando, confundas cum spiritibus ardentibus in hâc nostrâ regione tam decantatis. Hos dicito lethiferos spiritus aut aquas mortis; illas verò salutiferas, & vitæ longiori producendæ aptissimas, utpotè quæ nonnihil alkalino quidem volatiles, sed oleosis plurimùm permixtæ & aqueis dilutæ copiosius, non respuunt nexum cum alimentis intimiorem lenioremque, & absque tumultu; quibus sociatis, solvi se & digeri faciliùs patiuntur alimenta. E liquoribus autem jam fermentatione evectis, ignis vi elicitî spiritus, & toti quasi ignei sic facti, fibras aut acutè pungunt nerveas, crispantque; aut igneâ vi dirè torquent & propiùs urunt, indurantque alimenta, nedùm solvant. In hâc verò nostrâ regione, hic invaluit usus

(a) Martini Thuillier.

ut ad unam aquæ ferventis libram, una pulveris tosti uncia adhibeatur infundenda vel decoquenda. Hoc pulveris pondus è semine Mocha, uni aquæ libræ sufficienter imprægnandæ non impar quidem est. Aliæ Caffé species, etiam apprimè selectæ, id ponderis respuunt, utpotè debiliores; eas virtute infirmiores, quotidiana agnoscit experientia. Quantitas igitur vim compenset necessum est, donec in suâ quæque regione felicius educatæ arbores, perfectius suppeditaverint semen, & ex æquo maturum legere didicerint incolæ. Pulvis è semine Mocha infusus per quadrantem in aquâ bulliente, vase accuratè clauso, laudem meretur suam; levis prævia coctio, magis imprægnatum præbet potum. Quælibet alia species longiorem exoptulat coctionem. Quò quidem coctior, eò saturator est tinctura, suaviorque palato, magnamque tunc respuit sacchari quantitatem; minùs enim amara quam si paululum cocta aut infusa solummodò fuerit. Rationem postulas? Longior coctio, extrahit partem mediàm quæ oleosa multùm, proindè amara minùs. Caffé semen opportunè torrefactum & optimè pulveratum, triplici constat substantiâ, quæ ignis opus est, quemadmodum quæ triplex in vino detegitur, fermentationis est fœtus; una scilicet quam summam meritò vocat Becherus, seu volatiliorem; altera infimam, seu crassiorrem & tartaream; tertiam tandem mediàm apellat, sive partem extractivam quâ nempe omnia constant extracta, ut extractum Rhabarbari aut Juniperi, in quibus, dissipatâ partium volatiliorem parte præcipuâ, sola ferè reperiunt pars media, rejectâ scilicet infimâ seu crassiori. Ità, tosto semine arabico, crudoque & inerti discusso phlegmate, cum acidis volatilibus & olei subtilis quantitate non mediocri, ut testatur longè lateque diffusus odor suavis, (a) igne evehitur substantia superflua, partimque acido aut alkalino-volatilibus fit, aut oleosa, aut oleoso terrestris. Fervens infusio in ocluso vase facta, partem elicit imprimis volatilem seu summam, cui præcipuus amaror inest; oleosam verò pro maximâ parte extrahit coctio longior; crassiori relictâ & terrestriori. Hâc rejectâ, mediâ utere, & superadde novum pulverem eâdem quantitate ac priùs, suppeditabit coctio tincturam longè saturatiorem, ventriculo amicam, ob partes volatiles oleolis copiosioribus intricatas & intermixtas, (b) adeoque viscera minùs deurentes, imò sæpiùs vi laxativâ præditas, oleoso sic arte & industriâ facto potu, sicque parte mediâ copiosè saturato, quâ suam imprimis exerunt vim Catharticam plurima purgantia. De virtute Caffé laxativâ, idem innuit Matthæus Thuillier. *Porro alvum siccam humidat, linit, atque leniter citat; facto præcipuè, ejus cum lacte connubio illiusve cremore, Potionem, inquit, ex utroque attemperatam, omni ætati ac sexui, valenti atque infirmo, securiùs propinabis.* Manè imprimis & jejuno stomacho, non autem indigestis acidisve scatente alimentis à præviâ lautiore cœnâ, aut ab aliâ quâcumque causâ; tum enim ventriculus non nisi potui amaro, cum simplici aquâ parato, inhiat. Id cum lacte conjugii genus respuit post prandium potus noster, ni forte illud facilè ferat ventriculus vino inassuetus, aut etiam exoptulet illius exquisitor sensus, vel potus nostri stimulus acrior in delicatulis, cæterisque nativâ temperie, aut victu, in sanguinis phlogosim proclivioribus; neque enim omnibus, idem semper eodem modo paratus, eâdemve assumptus quantitate, competit. noscat igitur seipsum quisque cautus & prudens qui longævus exoptat dies. Amarior illi; huic lacte aut saccharo vel melle selecto temperatus; à cœnâ nonnullis absque temeritatis metu propinetur; post prandium ferè omnibus merè aqueum concesseris,

(a) Sub ignis torturâ particule ejus mirè alterantur, combinantur, ipsaque structura intimè recluditur ab igniculis, partisque ita comminuantur, ut promptè hinc pulvis fervidam tingat aquam, ipsique vires incidendi, attenuandi, deobstruendi, acida imbibendi, corrigendi, superaddere queat. *Camæratius de usu & abusu potuum*

(b) Ex Analyfi D. Geoffroy, uncia XXXIV. pulveris residui post decoctionem suppeditarunt distillatione, olei uncias VII. aut circiter. Undè concludit semen Caffé suam potissimùm debere energiam oleo, cum portione non mediocri salis volatilis urinosi conjuncto. *De materiâ Medicâ tom. 2.*

ANXIUS si forsân adhuc hæreas, utrùm stomacho sit tam aptè congruum Caffè semen, utrùm digestioni adedè feliciter conducatur, utrùm denique robur addat corpori & vires, utrùm insuper non paucos sanare queat morbos chronicos; vulgi quidem ne fidas opinionioni non infrequentè præjudicatæ; imò ne uni aut alteri recentiori Medico assentiaris, obsequiosior. Merum extollit supra cælos vini potator; innumeras & secum ferre vires clamat quisquis Caffè pius æquo avidus. Ast perpende quot millia hominum non in Galliâ, non in Germaniâ, non in Europâ solum aut Americâ, sed in ipso toto terrarum orbe, cum emolumento utantur Caffè potu; non ab annis decem aut trigenta, non ab annis centum; sed ab ipso vivente inter Arabas doctissimo Rhase, sed ab ipso Avicenna. Huic, fabæ Arabicæ notissima virtus, nec incognita. Caffè semen, *Bunchum* vocat uterque, quod stomacho congruum existens (ait Rhasis) (a) mali etiam sudoris odorem incidit & aufert. Est bonum stomacho (inquit Avicenna) (b) membraque confortat. Mundificat cutem & exsiccat humiditates quæ sunt sub eâ, & facit odorem corporis bonum. In frequentissimo est usu apud Ægyptios Caffè decoctum *Chaova* appellatum, narrante Alpino; (c) si quidem ipso ventriculum calefieri & roborari, apud eos compertum est; non minusque etiam viscerum obstructions tolli quotidie experiuntur; utuntur ejus decocto ad juvandam concoctionem; utuntur in tumoribus hepatis lienisque frigidis, & antiquis obstructionibus, feliciori jam successu. Docuerat idem Avicenna. Hæc tibi inexperto non faciunt satis, Rawolfium audi, (d) abusum Cossi, & nos non minus, cum Simon Pauli, improbamus quàm vini abusum. Usum verò retinemus, cum compertum habeamus, multos à potu Cossi modicè & debitè, manè nempe, jejuno stomacho, cum paucillo sacchari sumpto, benè habere, & feliciter experiri potum illum stomacho prodesse, Catarachos sistere, totumque roborare corpus; concludimus itaque, inquit, cum Vesslingii (e) præstantissimi effato, Europæis hoc medicamentum non esse inutile aut noxium; quantitate nempe cuique servatâ pro viribus, pro ætate, pro temperamento, & in sexu, pro variis circumstantiis. Quod igitur tam certè concoctionem juvat, quod ita omne roborat corpus, id morbos solvere posse chronicos complures, necessariò concludas. Nec ætatem infantilem credas excipi ab amari feminis decocto. Pulticulæ infantum unum adde illius, aut alterum Cochlear, aut hauriendum præbe post exhaustam pulticulam, aut à nutricibus nonnunquam hauriri jubeas. Hæc cautione, prævæ infantum digestioni, undè malorum omnium ilias, præcavebitur; obstructionibus occuretur mezenterii, nec non hepatis infarctui, quo secretio præpeditur bilis, quâ præpeditâ, chylus eâ non aluitur, non dividitur, non attenuatur; undè chyli transcolatio pauca, crudaque, & illius in intestinis copia major superstes, malè subacta, brevè corrumpenda, & pertinacioris alvi astrictionis fons aliquandò & prima causa, quæ non semel diris dedit ansam convulsionibus. Occurres Rachitidi imminenti, præsentem sanabis. Occurres denique vermibus infantum, quos enecat suo amarore, & impedit quominus enascantur in eorum chylo quàm sæpissimè nimium acido, ob vini aciescentis copiam, aut fructuum sæpius immaturorum, aliorumve hujus farinæ alimentorum quæ pestis infantum & innumerorum morborum causa esse consuevere. Dentitioni favet, cochleare uno bis & ter in die quotidie propinato post pastum & ante pastum; nec metuas noctes insomnes; nequit officere somno sorbitio tam modica, aut brevè restituit usus paulò diutiùs protractus, quemadmodum & evenit huic potui jam assuetis ætate provectioribus. Quot incommoda Tabaco utenti evenere primis temporibus? Quæ omnia sensim evanescere usu non interrupto. Quid plura? verum antiscorbuticum audit & prophylacticum eximium quotiescumque vergit in scorbutum, sanguinis dyscrasia. *Ubi languet sanguis depauperatus, illum portione Caffè exhilaras; atque ubi crassus haeret ac lutulentus, incidis, repurgas, ait peritissimus collega (f) noster. De tremore ar-*

(a) Rhasis lib. 3. ad Regem Almanforum p. 14.

(b) Avicenna lib. 2. Tractatu 2. p. 109. Venetiis apud Juntas.

(c) Alpinus de plantis Ægyptiis p. 63. 64.

(d) Leonhard Rawolf. itin. p. 301.

(e) Joannis Vesslingii observ. in lib. Alpini de plant. Ægyptiis pag. 21. 22.

(f) Matthæi Thuillier.

tuum quibusdam superveniente, de apoplexiâ, hæmorrhoidibus, cordis palpitatio-
ne, de tendinum subsultibus dolorificis cum caloris quodam sensu, salubris hujusce
nostri potûs usum ne infimules, abusum potiùs dicas. Ideòne vinum è mensis exu-
labit, (cui eadem probra potiori jure objicias) quia his & pluribus gravioribus-
que incommodis afficiuntur quicumque extrâ modum illud potant? At meliùs adhuc
cum Caffé potatoribus agetur, quàm cum ebriosis: illis solâ aquâ liberaliter haustâ, omnia
hæc mala citò citiùs evanescent per urinas sine ullo vel minimo diabetis periculo: mero
siderati non ex æquo sublevantur. Vis scire plura! Arcanum meum libens te docebo:
abstemius esto! Potui Caffé, vini potus calcar addit: duplicemque sibi comparat lon-
gum vigilandi causam qui nimiùm ex utroque se ingurgitat. At malignè & invidio-
sè, de noxâ vini liquorumque ardentium (quibus se exleges cum Caffé simul obruant
vinolenti homines) arguunt innocuum divinumque Caffé potum: obire quos male-
voli; aquâ vitæ ergò parcè & rarè aut nunquam, vino, siccâ, cerevisiâ, poma-
ceo aliisque id genus moderatè utantur. Tutè tunc & sine ullo periculo, quisquis
cælesti Caffé potui non solum sanus indulgebit sed & à plurimis, longo illius nec
immodico usu sese liberare poterit affectibus chronicis.

Ergo pluribus Morbis chronicis Caffé Potus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Pascasius Borie.

*M. Franciscus-Nicolaus Gau-
zier.*

*M. Joannes-Baptista-Ludovicus
Chomel, Medicus Regiæ
ordinarius.*

*M. Florentius-Carolus Bellot, M. Franciscus Bidault,
Scholarum Professor.*

*M. Hyacinthus - Theodorus
Baron, Facultatis Decanus.*

M. Ludovicus Pathiot.

*M. Joannes-Claudius Mu-
nier, Conjugarius & Medicus
Regis ordinarius & Domus
Regis Invalidorum.*


*M. Ludovicus-Maria Pouffe,
Censor Regius.*

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA THURANT, Parisinus &
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,

A S E X T A A D M E R I D I E M.







Arno